

mum Patris cælestis, in qua nobis locum paravit; in cælum quò præcursor pro nobis ingressus est Jesus Hebr. 6. 20. eâ viâ quam dedit nobis recentem & vivam, per velum, hoc est, per carnē suam Hebr. 10. 20. quò præcessit, ut ipsum sequeremur. Da ut te sequar, Domine Jesu, qui es via, veritas & vita.

V I. Quia mors corporalis finem affert omnium ærumnarum, sollicitudinum, molestiarum, lacrymarum, quibus in hac vita obnoxij sumus. Ideò Ecclesiastes cap. 4. mortem anteponit vitæ & sortem mortuorū conditioni viventium: Sed rursus ego quum viderem omnes oppressos qui afficiuntur sub sole: ecce quidem lacrymas eorum qui opprimuntur, sed nullus est consolator eis, aut evadendi è manu oppressorum virtus; deniq; nullus est consolator eis. Laudabam primum ego mortuos ipsos qui jam sunt mortui, præ vivis qui vivunt adhuc. Mors præsentium invidiæ subducit & futurorum anxia exspectatione liberat.

V II. Quia mors corporalis solvit à vinculis temptationū & laqueis peccati, & ad veram libertatem transmittit. Dum in hoc corpore anima versatur, vincula temptationū eam ligant, & ad injuriam captivitatis adstringunt quadam lege peccati. Itaq; anima secedens à corpore solvitur vinculis temptationum, exuitur laqueis peccatorum & ad libertatem cælestem transfertur. Huc facit quod dicitur Rom. 6. v. 7. Qui mortuus est, justificatus, hoc est,